necessarium inculcatur, si solus ejus sanguis ad illorum
expiationem sufficit! Mi frater, hæc adeò me cruciant,
ut literas, quas didici, penè execrer. judico enim eos,
qui literas nunquam didicerunt, nobis esse beatiores.
Minus illi vident scandalorum, minus offensionum. Ve-
runtamen licet ipse mihi vix temperare possim, tamen
rogo te, ut istam contumeliam æquo animo feras.
Præceptoris nostri sententiam breviter et nervose
in literis tuis demonstras: quia tamen existimo, te plu-
ribus de ea in tuis Commentariis disseruisse, rogo
te, ut illas pagellas mecum communices. Facies mi-
hi rem gratissimam. Vale, mi Doctissime, et mihi
unice colende Parée. Franecceræ 4. Novemb. 159[illegible]

220)

Cl. Viro Dn. Johanni Piscatori
Theologo Herbornensi
Salutem.

Reverende et Clarissime Domine Piscator: Valde
mihi est grata testificatio benevolentiæ erga
me tuæ. Sed et verè dico, me propter [illegible] illam [...]
gicam de præclara tua eruditione et pietate nunquam desi-
isse optime sentire, quod etiam ad D. Goclenium non
dissimulavi, ac volui, ut is de meo in te animo tibi per
occasionem significaret, ne sinistrè suspicareris. Con-
tradixi studio non malo, si alicubi durius, ignosce.
Relinquamus nunc junioribus disputationes ejusmodi:
me certè graviores jalus satis exercent; et tu exege-
ticâ illâ librorum sacrorum Analysi de Ecclesiâ mul-
tò præclarius mereris. Rectè verò D. Reidanus et de amore

inte meq et de approbatione disputationis tuae adte re-
fulit. Testor enim me retinere simplicem doctrinam de
justitia imputata praeceptoris mei D. Ursini, quia magis
ac magis video ejus consensum cum Scriptura, et praecipuis
nostri seculi Theologis, Luthero, Melanchthone, Calvino,
Martyre, Oleviano, Musculo &c: imò quam ad solidam
consolationem sit necessaria, apud me experior. Si enim
res ea, quae ad justitiam nobis imputatur, ex duabus vel
tribus partibus, puta perpessionibus Christi, actuali obedi-
entia, et habituali sanctitate humanitatis ejusdem (sic
dare esse d. Bezae sententiam, quam ad me etiam non dissi-
mulavit) sit conflata, quomodo non distrahetur fides nunc
partem justitiae hic, partem ibi quaerere satagens cum Scriptura
perpetuò in sanguine, morte, cruce, humiliatione &c: Christi, omnem
consolationem ostendat. Et quomodo non vel sanguini Christi, nec
justitiae Dei derogabitur? Quae enim vel tres justitiae nostrae par-
tes, vel erunt tres imperfectae justitiae, ad unam perfectam con-
currentes, vel erunt totidem perfectae Christi justitiae satisfaci-
entes legi per se singulae. Si illud utrique derogabitur obedien-
tiae et merito Christi; si hoc, injustus videbitur Deus, qui pro
una offensa duas vel tres perfectas satisfactiones postulet,
cum justitia ejus non nisi unam requirat. Sentio igitur cum
Scriptura, materiam justitiae nostrae non tantum ex parte, sed
integram consistere in morte et sanguine, hoc est, κατ' ἐξοχήν
in tota humiliationis obedientia: Remissionem pec-
catorum non tantum esse partem justificationis, sed inte-
gram justificationem nostram ex Rom: 4. 7. 8. Beati quo-
rum remissae sunt iniquitates, et quorum obtecta sunt pec-
cata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.
et Ephes: 1. 7. Col. 1. 14. in quo habemus redemptionem per
sanguinem ipsius, remissionem peccatorum; et absolvi à
peccato et reatu non modò idem esse, quod non injustum
esse, sed et idem, quod justum esse coram Deo: eòque inter
peccatum et justitiam impossibile esse dari medium in ju-
dicio Dei. Hanc sententiam D. Ursinus constanter et

ſeriò tradidit Scholæ ſuæ, nec tantum pro cogitationib(us)
habuit, ut quidam ex noſtris auſus fuit affirmare. Hæc e-
jus perpetua vox erat: Christum duas habere juſtitiæ vestes:
unâ ipſum juſtum eſſe Deum et hominem: alterâ nobis do-
nare. Repetiveram eam in Explicationib(us) Catecheticis, ſed quan-
tâ cum nonnullorum offenſâ fortaſſe inaudiviſti. Perſuaſe-
rant nonnulli aulæ et Principi, novam opinionē me ſerere:
ſic ventum fuit ad rotulationem: editio libelli totum ſe-
mestre inhibita: donec tandem tolerentur quæ ipſi im-
probabant. Vidi abs te in præfatione Analyſeos quinq(ue) po-
stremarum Epistolarum Pauli quæſtionem hanc tractari,
etiam priusquam tuas acciperem: et gratulatus mihi ſum
ad Nobile D. Grünradium ſcriptam eſſe. Neſcio an tan-
dem intellexerit controverſiam. Hoc ſciò, uno D. Toſſa-
no (quem ſocium inter noſtros jam non cenſeo, quia aca-
demiæ renunciavit) excepto, Ministros omnes, ipſumq(ue) D.
Kimedoncium, non ſecus ſentire et docere, ipſosq(ue) teſtor
me approbare, et quæ in diſputatione contra Bellar-
minum de hoc argumento ſcripſiſti; et quæ præfatio-
ni doctiſſimè inſeruiſti: neq(ue) enim puto, te (quod non-
nulli cavillantur, et mihi auſi fuerunt ad princip-
in cenſura quadam inſpingere) per mortem Christi
ſolam mortem in cruce intelligere, excluſis paſſio-
nib(us) in horto, et totiꝰ reliquæ vitæ, quæ profectò, ut
etiam Catecheſis nostra habet, nihil fuit niſi conti-
nua quædam paſſio pro noſtris peccatis. Proinde
ego ambiguitatis tollendæ cauſâ mortem per totam
obedientiam humiliationis uſq(ue) ad mortem crucis,
cum Apostolo Phil. 2. explicare debeo, ac ſimplici-
ter hanc ſententiam meis diſcipulis trado, abſq(ue)
diſputatione de diverſis ſententiis: quod videtur
omninò nunc faciendum, ne et fratres, qui diſſen-
tiunt, offendamus, et adverſariis anſam præbeamus
diſſenſionem noſtram traducendi. Cæterùm pro Ana-
lyſi tuâ magnas tibi ago gratias: ac faciam ut brevi

Si Deus

Si Deus volet, ἀντίδωρον litterarium ad te mittam. Vale
vir doctissime, et me amare perge. Dominus Deus te cum
tuis diu incolumem servet. Salutes ex me velim D. Joan-
cum et Typographum Corvinum olim mihi familiarem.
Heidelbergae Nonis April. 1592.

de Ao 1592.

221

Crede mihi, mi Isaace, non socordia, vel quod minus jucundas
tuas haberem, hactenus me nec tibi, nec D. Hexamero respon-
disse. Scis, quae me quotidie occupationes distineant: et
praeterea molestissimae scriptiones mihi incumbunt, quae
quicquid a Scholastico labore vacuum est temporis, suffuran-
tur. Dabitis ergo veniam, quod expectationem vestram
silentio fefelli. Interim quos mihi commendastis juvenes
non admisi solum ad exercitia scholae nostrae, sed et horta-
ri soleo ad alacriorem cursum, et certe gratulor vobis, quod
tales educatis, et ad nos potius quasi obsides fidei vestrae
et consensionis in veritate cum his Ecclesiis mittatis quam
ad stabula Ubiquistica, ubi a porcis vastatoribus nihil nisi
contra sanam doctrinam grunnire, et quem Ecclesia turba-
re discant. Et si vero tu in commendatione hujus scholae
nostrae, et meorum laborum modum excedis, nec ego
eas, quae me cumulas, laudes in me recipiam: tamen et gra-
ta est mihi benevolentiae tuae significatio, et hoc ipsum in
virtute tua pono, quod te unum ex iis esse ostendis, qui bene-
ficiorum qualiumcunque memoriam retinent non ingratam.
Vulgus nostrorum alumnorum tanti non facit commoda
sua: sed fere duram et acerbam sibi vitam ducunt, multi non sa-
tis intelligere volunt, nec adduci se ullis rationibus patiuntur,
ut cogitent: quid hic agant otio et cibo alieno distinen-
tes. Sed dabunt hi et Deo et sibi aliquando poenas. Samue-
lem candidum Pater ipse D. Tossanus et mihi commenda-
vit: ac facile sane tanti patris filius adolescens suavissi-
mus ipsa indole ad sui amorem nos adducit. Et si dudum
hoc tempore difficulter impetrari forte possit, ut locus in
aedes recipiatur ob copiam alumnorum, quos singulis fere se-
mestribus quatuor paedagogia nobis obtrudunt, tamen
brevi spem facere, ut numerus Collegii aliquanto pro-
ferantur latius. Fui nostris author ante triennium, ut du-
os alumnos ad exteras Academias studiorum causa mitte-
rent: jamque obtinui, ut alter illorum, Bartholomaeus Coppenius
Rocochensis, nobis tertius collega adjunctus sit, quo pluribus
alumnis deinceps sufficiamus. D. Junius ex Academia